



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opusculvm, De Vitis
Romanorvm Pontificvm**

Liutprandus <Cremonensis>

Mogvntiae, 1602

LXXXIV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11115

die ab occasu exiit stella meridie, & in partes Orientis declinauit. Post hoc mons Bebius, qui est in Campania mense Martio per diem eructuauit, & omnia loca circumquaque præ puluere exterminata sunt. Qui euestigio infirmitate detentus defunctus est ac sepultus ad S. Petrum Apostolum sub die 8. Idus Maii. Et cessauit Episcopatus menses 2. dies 15.

LXXXIV.

IOANNES, natione Syrus, de prouincia Antiochiæ, patre Qui-riaco, sedit anno 1. diebus 9. Hic valde strenuus, atque scientia præditus, cum esset Diaconus, missus à sanctæ memoriam Agathone Papa in regiam urbem cum aliis sacerdotibus, repræsentauit locum Apostolicæ Sedis in sancta sexta Synodo. Qui impetratis à clemètissimo Principe his, pro quibus ierat, reuersus est, & in Ecclesia est electus Constantiniana. Quo tempore regnabat Iustinianus Augustus defuncto patre in initio mensis Septemb. indictione 14. & statim auxiliante Deo constituit pacem cum gente Sarracenorum decennio terra mariq;. Sed & prouincia Africæ subiugata est Romano Imperio, ac restaurata. Hic post multorum annorum curricula Episcopum Turritanæ Ecclesiæ, quem sine auctoritate Romani Pontificis tecerat Citonatus Archiepiscopus Caralitanus sub ditionem eiusdem Ecclesiæ redintegravit atq; firmauit. Qui sanctissimus vir diutina infirmitate defunctus est ac sepultus ad B. Petrum Apostolum secunda die mensis Augusti. Et cessauit Episcopatus menses 2. dies 18.

LXXXV.

CONON, oriundus patre Traceseo, educatus apud Siciliam, postmodum Romanam venit eidem Ecclesiæ militaturus, atque ad presbyterii honorem deuenit; sedit mensibus 11. In cuius electionem consensit clerus & populus, dum non minima contentio facta esset, eo quod clerus in Petrum Archipresbyterum, & exercitus in sequentem eius Theodorum presbyterum intendebat. Cumq; clerus ante fores basilicæ Constantinianæ obseruaret custodias & exercitus in basilica B. Stephani protomartyris, atque neutra pars alteri cederet, sacerdotes & clerici vnanimiter ingredientes Episcopium Lateranense, elegerunt supradictum Pontificem, in quo vere erat aspectus angelicus, veneranda canities, sermo verus. Quod videns exercitus post aliquantos dies flexus cum clericis subscri-

V 2 psit,